



V, 25

2.498



4

MEMORIA
VIRI EXCELLENTIS.
SIMI
DOMINI
JOHANNIS
LVCII
COBURGI
CAMERAE SERENISSI-
MORVM DVCVM SAXO-
NIAE CONSILIARII ET,
ILL. COLLEGI CASIMIRIANI
SCHOLARCHAE:



MEMORIA
VIRI EXCELLENTIS
SIMI
DOMINI
IOHANNIS
LVCII
GOBVRGI
CAMERAR. SERENISSI.
MORVM DV. CAMBR. O.
NIAE CONS. ABDET.
ILL. COLL. GYMNASII
SCHOLASTIC.



ILL. CASIMIRIANI CO-
BURGIACI
DIRECTOR
ET
PROFESSORES RELI-
QVI
S. I. S.

§. I.

N contextendis *Memoriis Coburgensibus* hactenus oc-
cupati, & *Frommannianam* persecuti non ita pri-
dem, *defuncti Excellentissimi LVCH, VIRI, fama, usu,*
ipsisque in Athenaeum CASIMIRIANVM meritis magni,
proximam fore, sane non putauimus; in funere tamen *IPSIVS,*
hodie deducendo, quia enorari debet, nostrum inter lamenta
& lacrymas tribuimus officium.

§. II.

Editus nempe est in hanc lucem quarto Iduum Junii
Anno post mille, sexcentos, quinquagesimo primo, in *pago Bi-*
berschlag / qui est ditionis SAXO-HILDBVRGVHSANAE,
) (2 fini-

4
 finibusque praefecturae *Eisfeldensis* continetur; Patre integerrimo, *Jacobo Quß* / qui ex ferrariis fabricis & molitura honestum olim sibi comparabat victum, & *Matre Elisabetha*, nata *Langguthia*, ex pago *Croß* / eiusdem praefecturae: ut proinde *Aristoteles* non tantum patriam *Stagiram*, *Hesiodus Asiram*, *Cicero Arpinum*, clarissima natiuitatis suae luce illustrasse perhibeantur, & hæc nostrâ memoriâ *Antecessor Tubingensis*, *Jo. Harpprechtus*, pagum *Württembergicum*, *Wallenheim*, sed & *LVCIUS Biberfeldgum*, addendus nimirum *Viris* patria domo maioribus, iisdemque a *Festelio* recensitis in *Schediasmate de Eruditorum Germanorum Viris*.

§. III.

Pueritiae suae curriculum in ludo pagano & patrio exegit innocenter, cumque sementis optima vberriam laudis & praemiorum significaret messem, & spatia idcirco maiora conficienda restarent in *Illustri Gymnas. SAXO-Hennebergico*. *Suasoribus*, qui tunc *Eisfeldae*, in *Hennebergiae* ora, erant, *Superatendente Bechmanno* & *Praefecto Megandro*, Anno numeri minoris post mille, sexcentos, sexagesimo tertio, *Schleusingam* abiit, bonas ibi literas per totos nouem annos sedulo coluit, his porro praemunitus & imbutus penitus, *Studii ipsius altioris rationes* inurus, *Lipsiam* se contulit, *Philosophorum* & *Jurisperitorum Ordini* se addixit, partes *Ciuis* & *hominis frugi* impleuit omnes, & *fundamento sublimiori* per *triennium* prospexit egregie. *Fundamento enim diligentius emunito* quicquid *superstruitur*, *inconcussam* perstat, & *vim ac impetum dissentientium* perfert. *Poteratque Schleusingae emuniri*, e cuius *Athenaeo Viri semper prodierunt Ecclesiae & Rei omni publicae fructuosissimi*; poterat emuniri *Lipsiae*, *Vrbe*, quae *sane incluta est & elegantia moris, & frequentia hominum, & studiorum celebritate*.

§. IV.

§. IV.

At enim communiendus etiam erat aditus ad Patronos. Adhibendus erat negotiis publicis. Fide & dexteritate eniti habebat, vt Ipse aliquando, rebus conuersis, munera posset capessere: *Bambergae* ergo & *Norimbergae* in Conuentibus Circuli Franconici versabatur, & DN. Jo. *Heinrico ab Erffa*, qui tunc *Consiliarius* erat *Bellicus*, & *Archi-Praefectus Regiomontanus in Franconia*, *Secretarii* insignitus titulo; multam & vtilem in causis illis circularibus praebeuit operam. Anno septuagesimo octauo, *Domino de Erffa Meiningam*, vt ibi ageret *Archi-Praefectum*, translato, & postquam *DIVS ERNESTVS TRANQVILLVS* in ditionem nactus fuisset Praefecturas, *Hilperbusanam*, *Heldburgensem*, *Koenigsbergensem*, *Schalkouensem*, & *Veilsdorfensem*, HIC autem aliquod tempus in peregrinatione adhuc decreuisset consumere, & Ducatus interim *HILPERHVSANI* negotia administrare iussus fuisset DN. *Fridericus, Liber Baro de Born*, *Consiliarius intimus* & *Camerae Ducalis Director*, tandem etiam *Consiliarius Imperialis Aulicus, Baroni Bornio* vt in laboribus *Regiminis, Consistorii* & *Camerae*, suam iterum nauaret operam & studium, ab *Illustri Augusto Carpouio*, cui ex scriptionibus circularibus innotuerat fortassis *Lucius*, vt commendatus est, ita a laudatissimo PRINCIPLE constitutus clementissime. Anno octogesimo *Praefectus* euasit *Creyenbergensis* in *Tieffen-Ort* in Ducatu *ISENACENSI*. Anno octogesimo sexto auspiciis *DIVI MARCHIONIS CHRISTIANI ERNESTI* Barathi munus obire coepit *Consiliarii in conferendis rationibus (Rechnungs-Raths)*. Anno nonagesimo primo a *DIVO ALBERTO, DVCESAX.*, *Coburgum*, vt *Consiliarius* esset & *Redituum Ducalium Praefectus*, vocabatur, quo simul tempore *Scholarcha* *ILL. COLLEGII CASIMIRIANI*

factus est. Anno tandem post mille, septingentos, quarto, DV-
CALIS *Camerac Consiliarium* Eum clementissime designarunt
 SERENISSIMI PRINCIPES SAXO-COBVRGIACI.

§. V.

His in muneribus quam mentem adhibuerit & consi-
 lium, quam fidem *PRINCIPIBUS* demonstrauerit suis, qua fir-
 mitate labores omnes tulerit & molestias, qua lenitate actiones
 suas temperauerit sapienter, qua bonitate egentes iuuerit &
 complexus sit, quibusque studiis, quibus officiis cum optimo
 quoque certauerit, quia perspicuum est & inter omnes constat,
 ipso caractere, quo virtutes *Seiani Aelii* descripsit *Velleius Pa-*
terculus, Autor insignis, politus, & eloquentissime breuis, ipsisque
 eius verbis, quidni virtutem *LVCII, Consilarii Cameralis,* per-
 hibeamus describi, probrosam omnem adulationem, cuius for-
 tassis argui posset *Velleius,* prorsus abhorrentes? *Sub his exem-*
plis Tiberius Caesar Seianum Aelium, ipsum laboris ac fidei capa-
cissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis, singula-
rem principalium onerum Adiutorem habuit: Virum seueritatis lae-
tissimae, hilaritatis priscae, actu otiosis simillimum, nihil sibi vindi-
cantem, eoque adsequentem omnia, semperque infra aliorum aesti-
mationes se metientem, vultu vitaeque tranquillum, animo exso-
mmem. Multum speciatim temporis huic impertiebatur cogita-
 tionem, vt floreret *COLLEGIUM CASIMIRIANVM,* vt dignitas
 eiusdem defenderetur, & vt exitum discrimina haberent opta-
 bilem, immortales idcirco laudes & gratias promeritus.

§. VI.

Nec silentio praetermitti potest matrimonium con-
 cors, foecundum, & fortunatum, **Connubii** enim fidem Anno
 seculi

seculi superioris octogesimo secundo dedit *Viduae nunc moe-*
stissimae, & Virgini id temporis egregiae, Annae Elisabethae, Fi-
liae perquam reuerendi Viri, Georgii Schenckii, Pastoris in Herda;
 Nuptiae solempni ritu celebratae sunt *Tieffenorthi: Quatuor*
 Coniux *Eum auxit liberis, Georgio Friderico, qui iam antè Patrem*
 e vita discessit, *Georgio Augusto, Iohanne Wilhelmo, & Christina*
Maria, quae, pridem defuncta itidem, Patris dulcissimi conspectu
 nunc rursus fruitur: *Nepotes quatuor vidit, Iohannem Wilhel-*
munum, Iohannem Christophorum, Annam Elisabetham, & eodem
 denuo insignitam nomine, solùm verò superstitantem, *Annam*
Elisabetham: vtque adeo dolori Viduae, Filiorum & totius Domus,
 in casu tam tristi, fomenta DEVS adhibere velit, precamur.

§. VII.

Vti autem multa Senes circumueniunt incommoda,
 & quod *Hieronymus* dixit, crescente in ipsis sola Sapientia, vires
 caeterae decrescunt; vti omnino comminuuntur, qui, iam se-
 nes, admoventibus, vt a labore quiescant, cum *Diogene* respon-
 dent: *Quid, sin stadio curremus, vtrum oporteret iam metae*
vicinum cursum remittere, an magis intendere? ita sexagenario
 maior *Consiliarius & Scholarcha*, nec tamen de statione, in qua
 positus erat, decessurus, continuata hac vitae ratione debilitari
 coepit & frangi, virium totius corporis imbecillitas infecuta est,
 cumque proinde ad vltima se comparasset, & animam ad diuinas
 erexisset cogitationes, *decimo quarto mensis huius Iunii*, non tam
 obiit, quam obdormiuit, & ipsa quidem *Dominica*, qua mentis
 oculos in vitae coelestis felicitatem, & quietem illam exoptatis-
 simam, defigere iubebat *de Dinite & Lazaro* pericope Euange-
 lica.

§. VIII.

S. VIII.

Ad extremum, quia nostis, *Studioſi Juvenes & Ciues dilectiſſimi*, non modicam ſpem ablatam nobis eſſe, non leue erip-
 tum praefidium, etiam non moniti meritis *tanti Viri* ſtudio
 rependetis & obſeruantiam, funus, hodie ritu pio compo-
 nendum, decenter proſequemini, & nobiſcum tandem DEO,
 velit Iſ difficili hoc & calamitoſo tempore, in fide tutelaque SE-
 RENISSIMORVM DVCV M SAX., NVTRITIORVM IN-
 DVLGENTIſſIMORVM, integros nos ſeruare, ſupplicabitis.
 P. P. ſub Sigillo ILL. CASIMIRIANI, decimo tertio Calen-
 das Quinctileis, A. MDCCXVI.

Coburgi, exſcripſit Mauritius Hagen, Typogr. Ducal.



Yc 2777

ULB Halle 3
007 679 53X



W 18

Mc





MEMORIA
VIRI EXCELLENTIS-
SIMI
DOMINI
JOHANNIS
LVCII
COBURGI
CAMERAE SERENISSI-
MORVM DVCVMSAXO-
NIAE CONSILIARII ET,
ILL. COLLEGII CASIMIRIANI
SCHOLARCHAE:

